

Dia 16 aprilis illustrissimus dominus mane hora 12 accessit ad ecclesiam proparochialem Sanctissimae Annunciationis loci Muri, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Philippo Filippi parocho atque a populo. Omnes de more persolvit preces, cele[118v]bravit missam et deinde, facta mortuorum absolutione, visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime retinetur, eoque populum benedixit.

Post haec idem illustrissimus ac reverendissimus dominus sermonem habuit ad populum pro suscipienda Confirmatione, qua postea initiavit masculos et foeminas, ut in registro.

Visitavit deinde baptisterium et sacra olea, et omnia munda sunt. Dicta ecclesia a fundamentis paucis ab hinc annis erecta, ampla et eleganti structura, hactenus perfecta non est. Unum reperi altare, nempe altare maius, in quo celebratur. Manutentio pertinet ad populum et idcirco illustrissimus dominus plurimum commendavit pietatem populi, qui eleemosinis adeo optimam confecerit ecclesiam.

In dicta ecclesia erecta est cappellania beatae Virginis Mariae Assumptae mere laicalis, erecta a quondam Ioanne quondam Astolfo dicti loci, cum dote librarum quinque mille, annui redditus librarum quingentarum, cum onere cappellano celebrandi in altare beatae Virginis Mariae missas quinque in quolibet [119r] hebdomada, prout ex testamento rogato ab Antonio Petro Ioanne Natali anno 1667, nec nec [*sic = non ?*] in die Assumptionis convocandi praesbiteros totius plebis eisque prandium praebendi. Ad manutentionem dicti altaris sunt annuae librae quinquaginta provenientes ex fructibus librarum quingentarum. Hodie dicta cappella possidetur ab haeredibus quondam Vincentii Murati, nec ipsi probaverunt de adimplemento (etc.).

A quondam Brandonia relictus fuit census librarum centum ad favorem parochi cum onere missarum 13.

Item a quondam Suborlia relictus fuit census librarum quinquaginta ad favorem parochi et decem plantae olivarum cum onere missarum 30.

Item a quondam Iacobo relictus fuit census librarum sexaginta ad favorem parochi cum onere missarum octo. Extant etiam memoriae aliorum legatorum ad favorem parochi, sed ad praesens nequaquam exiguntur fructus.

Praeterea sacerdos Ioannes Natali dicti loci celebrare debet missas pro summa librarum 30, quas retrahit ex censu librarum 300 relicto a quondam Ioanne Luca Pierelli. Item tenetur [119v] idem sacerdos celebrare tot missas, quot retrahit fructuum a stabilibus a quondam Hieronyma.

Sacerdos Ioannes Xantis Pieretti et Andreas Giacometti celebrare debent tot missas, quot exigunt a censu librarum tercentum.

Sacerdos Franciscus Antonius Antonini loci Avapessae Aleriensis dioecesis celebrare debet missas pro eleemosina librarum 30.

Sacerdos Franciscus Lionetti celebrare debet tot missas, quot retrahi possunt a tribus censibus librarum 100.

Sunt etiam alia legata pia prout in inventario, sed vel fundus dissipatus vel pecuniae distractae.

Annui redditus dictae ecclesiae parochialis sunt librae 320. Familiae 149. Sacerdotes 8. Animae 750. Altare privilegiatum altare maius.

Titulus et antiqua parochialis erat Sancti Ioannis Evangelistae, quae ad praesens fere prorsus destructa est.

Extat etiam oratorium seu casazza sub titulo Sancti Ioannis Evangelistae et etiam Sanctae Crucis, in quo est erecta societas (etc.). Illustrissimus et reverendissimus dominus illud visitavit, et bene retentum deprehendens iterum laudavit pietatem populi huius loci. **[120r]** In proparochiali ecclesia Sanctissimae Annunciationis est etiam societas sanctissimi Sacramenti, sanctissimi Rosarii, beatissimae Virginis de Monte Carmelo et Doctrinae Christianae, et ut mihi asseruerunt omnes canonice erectae (etc.).

In loco Poggiali est oratorium Sancti Antonii Patavini, erectum a familiis dicti loci. Duo in eo sunt altaria. Maius sancti Antonii praedicti et alterum sancti Francisci Xaverii, iurispatronatus haeredum Donfrancesco quondam Dominici. In eo celebrari debet una missa in quolibet die festivo et 24 infra annum ad arbitrium, cum fuerint assignatae librae 900 censuum et reddant libras 90, prout ex actis Antonii Petri Ioannis Natali notarii rogat(is) anno 1725.

In loco Murato dicti loci Murati est oratorium iurispatronatus haeredum quondam Vincentii Murati sub titulo Sancti Petri Apostoli, in quo erecta est cappellania laicalis a domino doctore sacerdote Petro Murati, dotata in summa librarum bismille censuum, cum onere missarum 4 in hebdomada et cappellano contribuendi libras viginti in **[120v]** suppellectilia in quolibet anno; et dicta erectio facta fuit anno 1691.

Demum est oratorium Sancti Iacobi, quod manutenetur a populo dicti loci. Ad dicta oratoria attenta tarditate hora nemo nostrum accessit ad visitandum, cum parochus asseruerit omnia esse sufficienter ornata. Et ita (etc.) illustrissimus dominus circa horam 21 ad locum Nessae rediit.